

per inductionem illam confirmat. Una et satis celebris est an lex loquens verbis proprie significantibus casum verum extendatur etiam ad fictum, quem sub lata significatione verba comprehendere possunt modo explicato. Quam quæstionem tractant Bart. et alii legistæ in l. *Si is qui pro tempore*, ff. de Usucap., et in l. *Omnes populi*, ff. de Justit. et jur., et in l. *Cum ex oratione*, ff. de Excusat. tutor., et in l. 3, § *Hæc verba*, ff. de Negotiis gest., nam ex his et aliis iuribus inter se collatis constat interdum legis verba extendi ad casum fictum, interdum vero non extendi. Unde ordinaria regula est, in materia stricta, id est, odiosa, correctoria, et similibus non admitti extensionem illam; in materia autem ampla, id est, favorabili admitti. Ut cum lex loquitur in favorem filiorum, adoptivi etiam venire solent, ut docent Baldus et alii apud Menoch., l. 4, præsumpt. 89, n. 36, et lex loquens de legitimis legitimatos comprehendit, teste Bart. in dicta l. *Si is qui pro tempore*, num. 30; et Menoch. supra, n. 22. Unde potest hic notari alia regula, scilicet, quando lex omnino æquiparat fictum cum vero, tunc quoad dispositiones seu effectus ejusdem juris, ordinarie habere locum extensionem legis secundum totam proprietatem civilem seu legalem, quia lex disponere censetur secundum ejusdem juris usum et institutionem; ut, verbi gratia, dicit lex legitimatum nihil differre a legitimo, utique quoad dispositiones juris vel secundum jura factas, Authent. Quibus modis nat. effic. etc., cap. 1 et 3. Inde ergo fit ut nomine legitimorum ordinarie veniant etiam legitimi, nisi aliud constet aliunde de mente legis. In quo etiam considerandum occurrit hoc maxime habere locum quando effectus per legem inductus est quasi dispensatio in aliquo defectu non a natura sed ab hominibus introducto, ut est ingenuitas concessa contra servitutem; nam servitus non est conditio naturæ, et ideo servus factus ingenuus per legem simpliciter venire solet in legibus nomine ingenui, ut patet ex dicta l. *Cum ex oratione*; maxime vero in materia favorabili. Et alia exempla afferemus in sequentibus.

7. *Lex aliquando extenditur ultra proprietatem verborum tam naturalem quam civilem.* — Dico tertio: extensio legis per impropriam, seu ultra proprietatem verborum tam naturalem quam civilem, raro locum habet, admittenda vero est quando alias vel lex fieret illusoria et nullius momenti, vel injustitiam aut aliam absurditatem contineret. Hanc conclusionem in terminis posuit Abb. in c. 4

de Constit., n. 14, et sequitur ibi Deci. et alii, et Felin. referens alios in cap. *Translatio*, de Constit., n. 14; Covar., 3 variar., c. 3, n. 9; Navar. in sum., cap. 27, n. 51, et in c. *Pæna*, de Pœnit., dist. 1, n. 16 et 21, et sumitur ex Gloss. penult., in cap. 2 de Usur., in 6. Qui omnes præcipue loquuntur de posteriori parte assertionis. Nam prior, scilicet, quod hæc licentia extendendi legem ad improprium sensum per se non liceat, sed tantum necessitate cogente, per se nota est et ex dictis in capite præcedenti satis probatur. Quod vero propter dictam causam liceat, optime probatur ex l. *Scire etiam*, § *Aliud*, ff. de Excusat. tutor., ubi propter vitandum absurdum lex ibi dicens: *Vel intra centum milliaria*, extenditur ut etiam intra quatuor centum locum habeat. Et a simili etiam sumitur ex l. *Nam absurdum*, ff. de Bon. libert., et optime in l. *Si stipulatio*, de Oper. liber. Et confirmari hoc potest ex c. *Si civitas*, de Sententia excomm., in 6, ubi interdictum civitatis extenditur ad suburbia, ne vilipendi valeat sententia interdicti. Idem probatur ex c. *Significavit*, de Judæis, ut illud bene expendit Navar. in Sum., c. 27, n. 51. Ratio autem est, quia est vulgaris regula omnem dispositionem ita esse interpretandam ut valeat potius quam pereat; ergo multo magis lex quæ magno consilio fit: at vero si injustitiam contineret non esset lex; ergo ita est interpretanda ut et sit lex et non sit injusta, etiamsi ad hoc necessarium sit verba extendere usque ad impropriam. Et eadem ratione vitanda est omnis absurditas a lege per ejus interpretationem, quia, si esset absurda, irrationabilis esset, et consequenter non esset lex. Idem denique erit si sit inutilis et nullius momenti, quia etiam hoc modo nihil ad commune bonum conferet, ac subinde non erit lex. Et præterea cum lex auctoritate publica fiat, et magno consilio, non potest præsumi facta in eo sensu ut sit injusta, absurda vel inutilis. Unde etiam de statuto dixit Albert., cons. 20, n. 11, non esse ita interpretandum ut elusorium fiat, et sequitur Mascard. concl. 596, n. 2. Imo etiam in lege odiosa fit hæc extensio ne fiat fraus legi et ita fiat inutilis, ut in l. 4 ad Maced. sub mutuo comprehenditur venditio pecunia credita. Et ad id valet l. *Cum quis*, 126, de Regul. jur., et Glossa ult. in capit. ult. de Usur., in 6, ubi nomen testamenti ad codicillum extendit in materia pœnali, ne lex fiat illusoria, estque ibi communiter probata. Et plures alios in eadem sententiam refert Tiraq. in ll. conn. Gloss. 5, n. 114, et Sarm.,

l. 1, select. cap. 12, n. 7. Atque in his assertionibus non videtur esse controversia inter auctores, nam in his generalibus regulis conveniunt, licet alii plures, alii pauciores limitationes adhibeant, quas nunc non expendimus quia pendent magis ex particularibus materiis, seu ex applicatione generalis doctrinæ ad illas, quam ex formali ratione interpretandi leges.

## CAPUT III.

UTRUM LEX EXTENDI POSSIT AD CASUM NON COMPREHENSUM SUB ALIQUA VERBORUM SIGNIFICATIONE, PROPTER SOLAM RATIONIS SIMILITUDINEM VEL IDENTITATEM.

1. Quæstio hæc valde controversa est inter auctores et non parvam habet difficultatem, et ideo specialiter tractanda est. Multi ergo sentire videntur tantam extensionem fieri non posse. Et potest suaderi primo, quia ratio legis non est lex, nec formaliter illam constituit tanquam forma substantialis ejus, quia hæc est voluntas legislatoris significata per verba; ergo si verba in aliqua significatione non extenduntur ad aliquem casum, quamvis fortasse ratio in eo militet, non est de illo lex. Dices voluntatem legislatoris esse rationi conformem, et ideo tantum extendi quantum ratio ejus. Sed contra hoc argumentor secundo, quia stante eadem ratione potest princeps vel unum et non aliud, vel pro sola libertate, vel certe, quia non expedit multa præcipere aut prohibere, neque omnia omittere, et ideo eligit unum pro arbitrio suo, quod sæpe potest facere sine culpa; imo etiam interdum propter aliquam rationem. Nam, licet nos lateat, fortasse non defuit legislatori aliquod motivum propter quod unum præciperet, et non aliud, non obstante aliqua similitudine rationis. Unde confirmatur tertio, quia ipsa determinatio expressa verborum ad unum casum et taciturnitas alterius indicat potius legislatorem unum voluisse præcipere vel prohibere et non aliud, ex illa conjectura juridica, quia si voluisset expressisset, c. 2. de Translat. Episcop., cap. *Ad audientiam*, de Decim. Unde potius solet interdum sumi argumentum ab speciali, quia dum hoc in speciali prohibetur et alia tacentur, signum est alia non prohiberi. Denique lex non est ultra totam significationem extendenda sine necessitate aut ratione cogente; hic autem nulla est, sed sola conjectura similitudinis rationis quæ et infirma est, quia nunquam potest illa similitudo omnimoda satis probari, cum non oporteat le-

gislatorem omnem rationem exprimere quæ ipsum movit, et per alias conjecturas quas adduximus illa sufficienter eliditur, argumento cap. *Verisimile*, de Præsumptionibus; ergo propter solam rationem non est lex extendenda ultra verba. Et hanc sententiam significat Glossa in cap. *In fidei*, verb. *Inquisitionis*, de Hæret., in 6; tenet Anton. in cap. ult. de Consuetud., n. 57; Domin., in c. 1 de Tempor. ordin., in 6, n. 9; Adrian. in 4 Mater. de Excomm., q. 3, excep. 8, et Cord., l. 1, q. 11, opin. 2, ad 3, et multi alii apud Tiraq. in l. *Si unquam*, verb. *Libertis*, a n. 2, ubi infinita pene congerit et allegat usque ad n. 30, et præcipue in n. 20 et 21.

2. *Ratio legis aliquando extenditur ultra significationem verborum.*—Multi vero alii affirmant tantam esse vim rationis legis ut propter illam comprehendere censeatur casus in lege omissos, si in eis par ratio militet, licet aliter sub verbis legis non contineantur. Pro qua sententia multa etiam congerit Tiraq. supra a n. 42, ubi etiam plures auctores allegat. Idem Constanti. Roger. in tract. de Jur. interpret., § 1, a n. 21; Molin., l. 1 de Primogen., c. 5, n. 7 et sequent.; Covarr., in cap. *Alma*, 2 p., § 4, n. 7, vers. *Secundo*; Angel. verb. *Lex*, n. 6 et 8, cum Imol. et Gemi.; Sylv., q. 18, cum Panorm. in c. *In insulis*, de Regul., n. 3, ubi ait dispositionem legis extendi propter rationem expressam in lege, etiamsi verba id non patiantur. Idem fere habet in c. 1 de Juram. calum., n. 8. Fundamentum potissimum est, quia ratio legis præsertim in ipsa expressa indicat sufficienter intentionem legislatoris esse prohibere aliquid, non quatenus materialiter (ut sic dicam) tale est, sed ut subest tali rationi, ac subinde prohibere quidquid talem rationem æqualiter induit; ergo dispositio talis legis tam universalis est quam ejus ratio, etiamsi verba ejus id non expriment. Et confirmatur, quia hoc modo decisio unius casus per sententiam principis censetur habere vim legis pro omnibus similibus, quia nimirum casus ille particularis materialiter sumptus solum censetur esse tanquam quoddam exemplum in quo ratio decisionis exercetur; quia vero ratio est quæ fundat decisionem, ideo universalis esse censetur pro casibus similibus; ergo idem est cum proportionem in quacunque lege. Et ad hoc confirmandum allegantur varia jura; quæ nunc non licet sigillatim expendere, quia, intellecta generali doctrina, potest unusquisque juxta eam singula interpretari.

3. *De lege humana propria sermo esse de-*

*bet.* — In hac re difficile est iudicium ferre, propter varia dicta doctorum et jurium quæ ab ipsis allegantur. Ut tamen quod sentio dilucide et breviter explicare valeam, suppono sermonem esse de lege humana propria, id est, disponente et inducente novam obligationem quæ ex sola ratione naturali non oriretur; nam si lex hominis tantum sit declarativa rationis naturalis, sine dubio tantum extenditur quantum ipsa ratio. Nec de hoc esse potest controversia. Deinde differentiam constituo inter paritatem rationis et identitatem. Paritatem rationis voco quando, licet rationes sint diversæ, habent inter se æqualitatem, ut sunt, verbi gratia, ratio amicitiae aut gratitudinis, quæ inter se diversæ sunt, possunt autem æquiparari et moraliter æquales iudicari. Identitatem autem voco quando in diversis materiis una et eadem ratio pietatis promovendæ, aut nocuenti evitandi intercedit. Quam distinctionem attingunt iuristæ allegati, et paritatem vocant similitudinem rationis, aliam identitatem, ut videre licet in Baldo et aliis quos Tiraquel. citat, et expressius Rochus Curt., tract. de Consuet., ad cap. ult. cod., sect. 4, n. 23, ex Alexan., cons. 75; et Paulo de Castr., cons. 338, et in cons. 84, ut illum refert et sequitur Tiraqu. in dicta lege *Si unquam*, verbo *Libertis*, n. 45.

4. *Similitudo rationis non sufficit ut obligatio legis ex uno casu ad similem extendatur.* — Primo igitur censeo solum similitudinem rationis per æquiparationem seu æquivalentiam sine identitate non sufficere ut legis obligatio ex uno casu ad similem extendatur, ut ex persona ad personam, aut alio simili modo, quando sub verbis legis in aliqua significatione non comprehenditur. Ita opinantur imprimis auctores citati in prima opinione. Deinde idem plane sentiunt Paul. Castrens., Alex. et Rochus proxime citati. Ad idem potest citari Glossa in c. 1 de Temporib. ordin., in 6, verb. *Italia*. Nam, licet in principio videatur repugnare, in ultimis verbis tandem exponit illum textum, non admittendo extensionem propter similitudinem rationis. Verum est non fundari in hoc quod similitudo rationis non sufficeret, sed in hoc quod ratio aliqua dissimilitudinis excogitari potuit. Verumtamen etiam hinc sumi potest argumentum pro conclusione, quia si verba legis nullo modo casum comprehendunt, sola similitudo rationis non potest sufficere ut dispositio legis censeatur habere locum in alio casu simili, quia nunquam potest similitudo esse tanta quin facile sit aliquam ratio-

nem differentiae invenire. Sed ulterius declaratur incipiendo a certioribus. Nam imprimis fere omnes fatentur hanc extensionem per similitudinem rationis non habere locum ubi alia lex aliter disponit in alio casu, quantumcumque simili, ut expresse docent Bartol. in Authent. *Quas actiones*, c. de Sacros. Eccles., n. 8 et 9, et in l. *Omnes populi*, ff. de Just. et jur., q. 6, principali, quæstionc. 4; consentit Abb., cons. 29, n. 4, vol. 2, et in cap. *Translato*, de Constitut., n. 4, ubi clare loquitur de ratione simili, non eadem, ut Bart. etiam loqui videtur, ut illum etiam Rochus exposuit. Idem Felinus in dicto c. *Translato*, de Constitut., n. 13. Et ratio est, tum quia legum correctio est juris strictissimi, ut infra dicemus, et ideo non habet in illa locum extensio propter solam similitudinem rationis; tum etiam quia fortius vinculum est legis expressæ, quam sit ratio alterius legis propter solam similitudinem; ergo non potest hæc lex contra alteram prævalere. Ex quo obiter colligo solam similitudinem rationis non sufficere ut casus sit comprehensus in lege ex mente legislatoris; nam si esset comprehensus, revera eximeret illam a contraria lege antiquiori.

5. *Duo in lege pœnali distinguenda.* — Deinde in legibus pœnalibus est facilius magisque recepta assertio (idemque intelligatur cum proportionem in irritantibus et in omnibus odiosis). Ut autem caveatur æquivocatio quæ in hoc committi potest distinguenda sunt in lege pœnali duo, scilicet, præceptum vel prohibitio, et pœnæ impositio. Quod ergo attinet ad pœnam, certum existimo non posse legem pœnalem quoad pœnam extendi propter solam similitudinem rationis, quantumcumque ista sit. Quod præter auctores proxime allegatos sensit Gloss. in cap. *In pœnis*, 49, de Regulis juris, in 6, dicens: *Quod de pœnis non arguimus ad similia, quia pœnæ non excedunt proprium casum*; idem docuit Anton. de Butr. in cap. ult. de Consuetud., n. 57 et 58, et bene Castr., lib. 1 de Lege pœnal., cap. 7, docum. 3; eandem opinionem tenet et communem doctorum esse dicit Molin. tractat. 2 de Instit., disp. 176, § *Quarto*; Emman. Roder. tom. 1 quæst. regular., q. 11, art. 6, regula 14; Sanci. lib. 10 de Matr., disp. 4. Probari autem potest primo ex generali regula juris, in pœnis benigniorem interpretationem esse faciendam; at extensio pœnæ propter solam similitudinem non fit per interpretationem benignam, sed nimis rigorosam: ergo. Secundo, quia hæc extensio vel fieri posset a casu ad casum similem, æqualem vel

graviorem, vel a persona ad personam, vel a pœna ad pœnam, vel a loco ad locum, aut alia simili circumstantia; nihil autem horum potest dici cum probabilitate; ergo.

6. *Declaratur exemplo.* — Probatur prima pars de casu ad casum, quia pœnæ impositio, licet secundum generalem rationem æqualitatis seu proportionis fundetur in ratione justitiæ, tamen in determinatione talis pœnæ ad talem casum pendet ex voluntate legislatoris magis quam ex ratione, ut constat, quia nulla certa ratio cogebat principem ad imponendam hanc pœnam pro tali delicto; posset enim imponere aliam, vel nullam per legem imponere, sed committere iudici: ergo rationis similitudo ex parte delictorum non sufficit ad extendendam pœnam ad casum similem, quia præter rationem necessaria est voluntas legislatoris, quæ ibi non intervenit. Declaratur et confirmatur hæc pars, quia in pœnis quæ ipso facto imponuntur manifestum est neminem obligari in conscientia ad exequendam vel observandam in se pœnam legis, nisi commiserit illud specificum delictum propter quod est imposita, ut in censuris, irregularitatibus et aliis impedimentis canonicis manifestum est, ut constat ex doctrina sæpe repetita in materia de censuris. Imo doctores omnes in illa ponderant non solum specificam rationem delicti, sed etiam modum et consummationem ejus juxta rigorosum sensum verborum esse necessarium. Unde ridiculum esset dicere parricidam vel incendiarium templi aut imaginum incurrere censuram canonis *Si quis suadente*, quia hæc delicta æquiparantur in gravitate percussioni clerici; ergo idem dicendum est in pœnis imponendis per iudicem; eadem enim ratio militat, quia lex imponens pœnam certam pro furto in rigore non obligat iudicem ad imponendam illam pœnam pro alio delicto, etiamsi simile vel æquale sit. Quando vero possit iudex vel etiam debeat, ex alio principio, uti ea similitudine seu imitatione legis punientis unum delictum, ad puniendum aliud, paulo post explicabo.

7. *Juridica ratio exponendi omnes canones.*

— Atque hæ rationes convincunt in aliis extensionibus secundum alias circumstantias, quando, variata circumstantia, variatur factum quod lex consideravit. Ut patet imprimis in variatione personæ. Nam si lex definite punit religiosum concionantem hoc vel illud, non punit clericum secularem idem delictum committentem, quia, licet sit in specie idem, non tamen est idem quod lex voluit et expressit.

Item hic procedit illa ratio, quod punire hanc vel illam personam pendet ex voluntate legislatoris, et ideo non sufficit similis ratio, quia nec semper homo vult omnia quæ participant similitudinem rationis, nec semper expedit omnia velle, sed unum præ alio eligitur arbitrio legislatoris, vel propter alia motiva quæ apud se habere potuit. Et hæc est juridica ratio exponendi omnes canones pœnales, et destructo hoc generali fundamento tollitur certitudo in his legibus explicandis. Et idem discursus fieri potest de loco; nam si lex punit delictum factum in tali loco, ita ut ex illa constet habuisse respectum ad illum, non extenditur ad alium, licet eadem vel similis ratio in eo esse videatur. Quod quidem dixit Bart. in Authent. ult., c. de Sacrosanct. Eccles., quando cum illa extensione inducitur correctio legis; ego vero censeo absolute ac per se idem esse dicendum ex vi mutationis loci et facti quod lex consideravit. Et idem est de malo peccandi; nam si lex punit peccantem scienter, non extenditur ad peccantem ex ignorantia, etiamsi contingat delictum ex aliis circumstantiis esse gravius, et sic de aliis propter eandem rationem. Denique idem est evidentius de extensione a pœna ad pœnam; nam si certa pœna imponitur per legem, non potest iudex illam mutare, aliam similem imponendo, quia astringitur lege ad solvendum, ut ita dicam, in tali specie, nisi per modum dispensationis ex justa causa aliud ei permittatur, ut supra dictum est. Et in pœnis quæ incurruntur ipso facto non potest quis mutare pœnam in aliam similem, quando potest pœnam lege præscriptam exequi; imo, licet non possit, non tenetur aliam æquivalentem præstare, ut in superioribus dictum est; et in aliis legibus est certum in eis non habere locum commutationem proprio arbitrio factam, ut infra dicetur; nulla ergo extensio vel argumentatio per similitudinem rationis habet locum in pœnis quoad proprium reatum earum, etiamsi maxima congruentia vel similitudo intercedere videatur, ut dixi etiam in tom. 3 tertiæ partis, q. 67, art. 8. in comment.

8. *Rejicitur sententia Joan. And.* — Superest dicendum de altera parte legis pœnalis, quæ est prohibitio vel præceptum: nam Joan. Andr., in cap. *Dispendia*, de Rescript., lib. 6, dixit per similitudinem rationis extendi dispositionem legis pœnalis, licet non extendatur pœna. Et potest suaderi, quia eadem est ratio de hac lege quæ de qualibet alia obligante per vim directivam, quia etiam lex pœnalis ut

præcipiens vel prohibens habet suam vim directivam; solum hoc potest in ea considerari speciale, quod ratione adjunctæ pœnæ videtur potius restringenda quam extendenda, quoad hoc ut pœna restringatur et non extendatur. Sed hoc non cogit, quia pœna est quid accessorium, et directio legis est principale, et ideo non est habenda ratio accessorii, si principale per se spectatum petit vel admittit extensionem; sed lex directiva non adiciens pœnam extenditur propter similitudinem rationis; ergo et lex pœnalis quoad dispositionem et directionem. Sed hæc sententia imprimis in eo displicet quod separat pœnam a dispositione legis; nam, licet verum sit pœnam legis non posse extendi ad eum qui illam legem non violat cui adjecta est, etiamsi aliam similem violet, ut probant omnia dicta in superiori puncto, nihilominus si propter rationis similitudinem extenditur dispositio legis pœnalis, consequenter dicendum est violari legem illam per actum illum in quo similis ratio militat; alias quomodo lex extenditur ad illum actum? Si autem lex violatur, pœna ejus incurritur, quia adæquata est ipsi legi, et sequitur transgressionem ejus tanquam accessorium principale. Deinde displicet ipsa assertio, quia, licet æquiparatio facta cum aliis legibus directivis non pœnabilibus videatur probabilis, nihilominus fundamentum etiam in aliis legibus censeo esse falsum.

9. *Similitudo rationis non sufficit ad vinculum conscientie inducendum.*—*Duplex interpretatio mentis legislatoris.*—Dico ergo nullam legem extendi, quoad vinculum obligationis in conscientia quod per se imponit, propter solam similitudinem vel paritatem rationis, ad casum omissum et nullo modo comprehensum sub significatione verborum legis, etiamsi de tali casu nihil per aliam legem dispositum sit, et sive lex pœnam addat, sive non addat. Ut hanc assertionem probem, suppono distinctionem quamdam qua utuntur Imol., Gemi., Tiraq. et Sylv. locis citatis, qui dicunt duplicem esse mentem legislatoris, vel potius interpretationem mentis legislatoris, unam comprehensivam, aliam extensivam, quod ego intelligo pure extensivam, generale nomen imperfectiori membro applicando. Comprehensive interpretatio, vel extensio, est quando per illam declaratur talem casum vel personam comprehensam fuisse in mente legislatoris, licet verbis non satis eam declaraverit, ut est casus in cap. *Si postquam*, § *Si vero*, de Elect., in 6 ibi: *Quæ non solum ut quis veniat,*

*sed etiam ex sui mente cogit, quod usque ad finem negotium prosequatur*, cum similibus. Pure vero extensiva mens seu interpretatio dicitur illa per quam extenditur dispositio legis ad casum non comprehensum sub mente legislatoris, propter similitudinem vel paritatem rationis.

10. *Interpretatio pure extensiva non sufficit ut dispositio legis obliget in tali casu.*—Hoc posito, sic argumentor: interpretatio pure extensiva et non comprehensiva nunquam sufficit ut dispositio legis obliget in casu ad quem fit extensio ex vi talis legis; sed extensio quæ fit per similitudinem rationis sine adminiculo verborum nunquam est comprehensiva, sed pura extensio: ergo, ratione illius tantum, nunquam lex obligat per vim directivam. Quæ ratio procedit tam in lege favorabili quam in pœnali, correctoria, et quomodocunque odiosa, ut per se patet. Majorem videntur plane supponere Imol. et Gemi., imo etiam Sylvest.; et probatur, quia formalis ratio constitutiva legis est mens legislatoris sub qua voluntatem ejus præcipue intelligo; ergo quod non fuit sub mente legislatoris comprehensum non potest sub lege comprehendi; ergo non potest cadere sub legis obligationem: ergo si interpretatio sit pure extensiva, non potest sufficere ad obligationem legis. Probatur consequentia ultima (nam cætera omnia per se nota videntur) ex data declaratione terminorum, quia illa dicitur pura extensio quæ fit ultra totum id quod sub mente legislatoris comprehenditur. Quod autem talis sit extensio quæ fit per solam similitudinem rationis quod in minori sumebatur, probatur, quia sola similitudo rationis non ostendit sub voluntate legislatoris comprehensa fuisse omnia quæ similitudinem rationis inter se habent, ut probant omnia dicta de pœnis. Nam, sicut obligatio ad pœnam talem non nascitur ex sola ratione, sed ex voluntate legislatoris quæ, stante simili ratione, potest velle hanc vel illam pœnam et non aliam; ita obligatio directiva nascitur ex voluntate, et hæc non semper tantum extenditur quantum rationis similitudo, ut in pœnis probatum est, et in rationibus pro prima sententia adductis.

11. *Refellitur responsio.*—Respondet autem Sylvester, verb. *Lex*, quæst. 18, sicut physice est impossibile esse eandem causam quin sequatur idem effectus, ita, loquendo juridice, esse impossibile esse eandem rationem et non esse idem jus, cum ratio ipsa sit formaliter jus et lex, nisi hoc sit ex voluntate legislatoris,

quam tamen sequi non tenemur, nisi exprimatur. Verumtamen hæc objectio, ablata quadam æquivocatione quam involvit, magis confirmat nostram sententiam quam eam oppugnet. Æquivocatio ergo sæpe committitur in illo verbo *eadem ratio*; nam, si rigorose sumeretur pro vera identitate rationis prout a similitudine distinguitur, non procederet ratio contra nos qui hæc duo distinximus, et nunc de sola similitudine tractamus. Sylvester autem latius loquitur de ratione eadem, prout antea dixerat: *Si ratio sit par simpliciter, seu eadem, aut certe major*. Sic ergo loquendo de ratione eadem pro simili, pari, vel majori, falsa est major, et inepta comparatio quæ fit causæ physicæ, quæ naturaliter agit, ad rationem quæ moraliter inducit liberam voluntatem legislatoris: quod ipsemet Sylvester vidit cum addidit: *Nisi hoc sit de voluntate legislatoris*; si ergo legislatoris voluntas potest efficere ut lex non tantum extendatur quantum par ratio, non est juridice impossibile esse eandem rationem et non esse idem jus. Falsumque est dicere quod talis ratio sit formaliter jus et lex; nam talis ratio per se non sufficit jus aut legem constituere sine voluntate legislatoris, alias non posset legislatoris voluntas facere ne lex tantum extendatur quantum illa ratio; quia non potest tollere ab illa ratione quod illi est intrinsecum et formale. Nam ob hanc causam non potest voluntas legislatoris humani facere ut illa ratio naturalis quæ per se inducit obligationem naturalis legis, et est quasi formale jus naturale, non extendatur quantum natura sua potest. Secus vero est de ratione congruitatis seu convenientiæ, quæ in lege humana reperitur; illa enim ratio per se non est formaliter jus aut ratio, sed potius est voluntas, vel saltem non sufficit ratio sine voluntate. Unde libenter admittimus illud principium quod Sylvester sumit, quia non tenemur sequi voluntatem legislatoris nisi exprimatur; nihil autem illum juvat, quia, licet legislator non exprimat se nolle ut lex extendatur ad omnia in quibus similis ratio invenitur, non ideo ratio sola per se obligat, ut ostensum est, nisi accedat voluntas legislatoris; unde retorquetur ratio, quia per talem legem non exprimitur voluntas legislatoris obligans ad talem extensionem, nulla est talis obligatio. Probatur consequentia, quia voluntas legislatoris non obligat nisi exprimatur, et illa non exprimitur; ergo ex illa non potest esse obligatio, nec etiam ex sola ratione; ergo ex nullo capite.

12. *Objectio.*—Sed dici potest quod, licet ratio sola non sit lex sine voluntate, tamen est signum voluntatis, præcipue quando ipsa lege exprimitur; ergo tunc tantum extenditur voluntas quantum ratio, et ita ex ratione resultabit interpretatio non tantum pure extensiva, sed etiam comprehensiva, et sic etiam procedit quod Bald. et alii dicunt, rationem esse ipsam legem, quia involvit voluntatem, et ideo æque extendi legem ipsam ac rationem ejus. Sed hoc, licet possit habere apparentiam aliquam in propria identitate rationis de qua statim, non tamen in rationis paritate aut similitudine, quia de illa falsum est assumptum; nam ratio per se non est sufficiens, nedum adæquatum signum voluntatis, etiamsi in lege exprimatur, quia est tantum signum honestatis vel utilitatis quam legislator in tali materia respicit, ut in illa per legem ac voluntatem suam necessitatem inducat. Et ideo necessarium non est, nec moraliter verum aut ordinarium, quod voluntas legislatoris extendatur ad omnia in quibus potest inveniri similis ratio. Quia (ut dicebam) voluntas pro sua libertate potest circa unam materiam disponere, et non circa aliam, licet in utraque inveniat similis ratio, quia fortasse non expedit in omnibus disponere, et pro suo arbitrio legislator eligit unam materiam potius quam aliam. Exemplum morale est, quia in lege taxante pretium panis aut vini eadem profecto vel potius similis ratio considerari potest, et nihilominus lex positiva interdum taxat pretium panis, et non vini vel olei, et sic de aliis. Item aliquando lex canonica disponit aliquid in una religione mendicante quod posset simili ratione generaliter disponere, et tamen si lex specialiter loquatur de Prædicatoribus vel Minoribus, non extenditur ad alios, ut patet ex cap. *Constitutione*, cum cap. *Non solum*, de Regular., in 6. Nam prohibitionem factam Minoribus et Prædicatoribus recipiendi novitios ante annum probationis elapsam, eodem extendit Bonifacius VIII ad aliorum Mendicantium ordines, et addit: *Nos pari similitudine rationis inducti*, plane ostendens antea non habuisse locum extensionem illam, non obstante similitudine rationis.

13. Atque ita ex illo textu fatetur Sylv. probari sententiam hanc quoad leges pœnales, et dispositiones seu prohibitiones earum, et in hoc esse communem sententiam, eamque aliis in locis docuisse Joan. Andr., scilicet, in regula *Odia*, in 6; et in Clem. 1 de Elect., Imol. et Gem. in dicto cap. *Statutum*, Panorm. etiam